

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ  
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli  
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opuscuvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,  
Aliarvmqve Observationvm ... )

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.  
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

I. Melchioris Wengeri. Rectoris olim Gymnasii Suevo-Halensis, Programma  
De Secretis & fatalibus Imperiorum ac Rerum publicarum pignoribus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**



I.

# *MELCHIORIS WENGERI,*

*Rectoris olim Gymnasii Suevo-Halensis,*

**PROGRAMMA**

*De*

*Secretis & fatalibus Imperiorum ac  
Rerum publicarum pignoribus.*

Plerique olim populi divina, ut ipsi rebantur, & fatalia Imperii Pignora coluerunt, quæ tanquam *διοπτήν*, id est, cœlitus demissa sibi donataque summo studio asservabant, amissis illis violatisve tristem Reipublicæ perniciem imminere; retentis vero & religiose custoditis incolumitatem promitti perpetuam, plane persuasi. Quo etiam Fata Vrbium referri debent, quibus hosti proditis certum urbibus excidium impendere arbitrabantur. Vtraque Fatorum nomine complectitur Chrysalus servus apud Plautum *Bacchid. 4, 9, 29.* *Ilio tria fuisse audi vi fata, quæ illi forent exitio:* *Signum ex*

*Tom. I. Fasc. III.*

*Gg*

*arce*



arce si perisset: alterum etiam est Troili (omnium Priami filiorum natu minimi) mors: Tertium, cum porta Scææ limen superum scindetur. Signum illud, quod priore loco memorat, Palladium, sive Palladis simulachrum fuit, trium cubitorum, cœlo delapsum, ut perhibent nonnulli, eo tempore, quo Ilus arcem, cui ab conditore nomen Ilio postea fuit, struere aggressus, signum aliquod propitiæ voluntatis exhiberi a Superis oravit. Cæterum Oraculo mox edocetus est Ilus, civitatem perpetuo fore incolumem, quoad Palladium istud inviolatum ibidem servaretur. Eo itaque per Diomedem & Vlyssem, per cuniculos arcem subeentes, ablato, Troja, quam non anni decem, non mille carinæ domuerant, Græcorum potestati cessit. Postea tamen, excisa jam Troja, Æneas illud a Diomede redditum, una cum reliquis Penatibus secum in Italiam asportavit, Penatiger ideo ab Ovidio (15. Metamorph. 450.) dictus. Secutis deinde temporibus Romæ in Vestæ penetrali fatale hoc Imperii Romani Pignus fuisse conditum, cum aliunde, tum ex Livii 26, 27. discimus. Qui & Numam arma cœlestia, quæ Ancilia (alii cum Plutarcho

An-



Ancylia scribunt ) appellantur, Salios ferre,  
ac per urbem ire canentes carmina cum tri-  
pudiis solemnique saltatu jussisse , memo-  
riæ prodidit. Servius ad *VII. Aeneid.* 188.  
Palladio & Ancilibus alia quinque adjungit,  
quæ Romanum imperium , ut ipse ait, te-  
nuerint seu conservaverint. Cæterum quo  
cultu prius quidem apud Iliadas , tum apud  
Romanos veteres Palladium , & apud hos  
arma quoque Ancilia sunt habita ; eodem  
postea Fortuna Augusta , vel Augusti sub  
Principibus fuit , nunc Fortuna Aurea,nunc  
Regia , interdum Fortuna Principis , alias  
Felicitas Augusti cognominata , in cubicu-  
loque Principis culta , & una cum imperio  
successori tradita , qua de plura collegit  
Clariss. Polyhistor Rupertus ad *Flori Prolog.*  
§. 2. p. 26. Imperii Persici tutela sive pi-  
gnus Zoroastris , vetustissimi Bactrianorum  
Regis , cineres fuere. Mycenis perpetuam  
incolumitatem pollicebatur Aries aureus:  
Ephesiis Diana illa διοπετής , cuius & S. Li-  
teræ *Actor.* 19, 35. meminerunt: Scythis ara-  
crum , jugum , securim ( ita Interpres. Cur-  
tius sagittam ponit , 7, 8, 17.) phialam sive  
pateram , ex auro facta omnia , cœlo deci-  
disse , tribus Targitai filiis regnantibus ,

Herodotus 4, 4. auctor est. Quod si jam in originem talismodi Pignorum inquirimus, forte non absurdum fuerit existimare, sicut alia pleraque in ceremoniis gentilium; ita τετελεσμένας quoque Statuas hæc, & secreta Rerum publicarum Pignora Arcæ Fœderis, quam DEI mandato Moses artifici Bezaleelis manu confici curavit, suos debere natales. Hæc gratiæ Numinis præsentia symbolum erat, quam pluribus miraculis venerabilem cum Judæis, tum Gentilibus DEVS reddiderat, & unde responsa consulentibus dare, atque opem & auxilium implorantibus eum promittere consueverat. Hinc bello Allophylos inter & Israëlitas morto, cum hi clade ingenti ab hostibus essent affecti, tanti caussam mali Arcæ absentiam sibi fuisse rati, Seniorum consilio eam in castra sua, præter voluntatem & mandatum DEI, deportarunt, firmissimo hoc præsidio ad res melius gerendas deinceps usuri. Eaque fiducia ereti, Arcam lætissimis plausibus ac jubilis susceperunt. Contra ea Philistæi, cognito, illam Israëlitarum in castra esse allatam, ingenti terrore perculsi, Venit, inquiunt, DEVS in castra. Væ nobis! non eodem post hac cursu res, quo fluxere adhuc, ibunt.

Væ

*V& nobis! quis eripiet nos manu tam potentium  
Deorum? ( ita homines idololatræ de uno  
DEO , tanquam de pluribus , loquuntur )  
Hi sunt Dii , qui Ægyptum omni variis in deserto  
malis affecerunt. &c. 1. Sam. 4, 7. seq. Verum  
ipse belli hujus eventus clarissime docuit,  
cladis nuper acceptæ culpam non alibi,  
quam in Israëlitis hæsisse , qui contra leges  
sibi datas identidem prævaricando , DEVM  
graviter offenderant , eoque averso bellum  
gerebant ; tantum abest , ut illum pro sua  
staturum caussa , citra temeritatis notam ,  
polliceri sibi , aut ab Arca victoriam ac sa-  
lutem , quæ à solo Deo petenda & exspe-  
ctanda erat , sine impietate sperare possent.  
Eaque propter cœlestis Justitia nefarium va-  
nissimorum hominum errorem , improbi-  
tatemque detestabilem graviter ulta , &  
iplos , & Arcam , in qua spes omnes suas  
impie collocaverant , in potestatem hostium  
tradidit , atque ea ratione cunctis ostendit  
mortalibus , solam pietatem , & sanctum  
Dei cultum timoremque , uberrimum omni-  
genæ salutis fontem , omnis indubia spei  
anchoram , ac firmissimum adversus quos-  
vis hostes præsidium , Pignus denique Re-  
rum publicarum ac Imperiorum esse inex-*

*Gg ; pugna-*

pugnabile, quo sancte religioseque custodito stent illa & floreant; neglecto contra ac susque deque habitu concidant & revertantur. De Constantini M. præstanti virtute Principis, consilio, quo Byzantium, Constantinopolin postea & Novam Romanam ab eo vocitatum, alteram Imperii Romanum sedem constituit, imperiumque ipsum in orientale & occidentale partitus est, varie & olim disputatum est, & nunc quoque concertatur, plerisque illud acriter reprehendentibus, aliis autem vel simpliciter laudantibus, vel saltem excusantibus. Non est huius loci, neque ingenii forsitan nostri, ea, quæ in utramque partem à scriptoribus tam Gentilibus, quam Christianis afferuntur, excutere. Si tamen id, quod sentio, pace aliorum ingenue licet profiteri, sic plane existimo, calamitatum & cladium, quæ post Constantini tempora orbem Romanum oppresserunt, caussam præcipuam, & prope unicam, veræ neglectum pietatis fuisse. Ut primum enim laudatissimi Principis opera, & Dei cum primis beneficio, tranquillior Ecclesiæ status obtigit, egregius ille pietatis ardor, quem sævæ gentilium persecutiones in peccatoribus fidelium

ac.



accenderant, & adhuc aluerant, minui & evanescere, Episcoporum luxus & superbia cum opibus mirum in modum crescere, schismata passim ac hæreses teterimæ piam christianorum confessionem & orthodoxyam violentius, quam antea, convellere ac labefactare, omniaque impietate, ambitione, iniuriis, certaminibus repleri cœperunt. Tum toto in Imperio, atque adeo in ipsa urbe principe, innumera ethnorum hominum multitudo supererat, qui abiecta idololatria Christo nomen dare, manifestis licet argumentis, & stupendis convicti miraculis contumacissime tamen recusabant, dirissimisque verum Deum blasphemis, si non palam, at occulte inceſtebant, eiusq; cultores odiis proſequentes acerrimis, quibus quibus poſſent modis, affigere non desistebant. Hæc, & quæ recenſeri poſſent alia, barbaros in provincias Romanorum immiserunt: hæc pristinas eorum vires attriverunt: hæc urbes florentissimas solo æquarunt, atque, ut in ſumma dicam, horrenda mala, quæ apud iſtius ævi Scriptores non ſine stuþore leguntur, in Rempubli- cam universa invexerunt. Profecto nunquam ullæ gentes barbaræ in Romani fines

Gg 4 impe-



imperii erant invasuræ, nisi Palladium ipsi suum, veram dico Pietatem, malitiose pro-didissent. Documento sint Israëlitæ, quibus pollicitus est Deus, si dicto audientes ipsi fuissent, se non modo hostibus eorum hostem fore, illosque terrore perculsurum, sed & tribus festis solemnibus, quibus con-venire in eo loco, quem ipse cultui sacro destinaturus esset, iuberentur, vicinos po-pulos cohabitatum, ne in fines ipsorum im-pressionem facere audeant. v. *Exod.* 23, 22. seqq. & 34, 24. *Psalm.* 81, 14. Huic vero promissioni fidem exstisit, historia sacra plurimi testimoniis confirmat, unde liquet, nullos unquam hostes, quamvis potentissi-mos, damnum afferre Israëlitis valuisse, quamdiu hi omnia sua consilia & facta ad DEVM retulerunt; simulatque vero fictitiis servire Diis, liberaque vitiis fræna laxare cœperant, superatos, in potestatemque ac servitutem externorum esse redactos. Ve-rissime igitur lacte Doctor oris Lactantius (*de Ira DEI*, c. 13.) *Timor DEI*, ait, *solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur.* Utinam, o utinam, nos Germani bello præsenti studiosius ad animum ista re-

fe-

ferentes , à vitiis & impietate serio aversi ,  
DEVM nostrum pietate haud ficta in poste-  
rum coleremus ! Sola hæc , sola , inquam ,  
arma illa sunt , quibus feroceſ & ~~Deouāt̄~~ barbarorum hostium spiritus contundere ,  
& stabilem patriæ pacem tranquillitatemque  
possumus reparare . Hoc etiam atque etiam  
optamus , hoc à Deo quotidianis precibus  
expetimus . At quoniam diversa omnia in-  
terim fieri animadvertisimus , ne scelerum  
contumaciæ inexorabilis immineat Adra-  
stea , verentes , cum omnium maxime in-  
tersit , Adolescentibus virtute & doctrina  
præstantibus , qui brevi in Academiam hinc  
discessuri , Scholæ atque Patronis suis vale  
constituerunt dicere , Pietatis patrocinium  
ad nostros delegavimus . Itaque I. IOAN-  
NES PETRVS GROS , Hallensis , demonstra-  
re conabitur , quam necessaria homini , &  
eximie conveniens virtus sit Pietas . II. PHI-  
LIPPVS HENRICVS GRATIANVS , Gailndorf-  
Limpurgicus , obstacula sive impedimenta ,  
quæ plerosque à Pietate hodie avertunt , & osten-  
det , & removebit . III. IOANNES MEL-  
CHIOR SIBER , Hallensis , elegante Chriatvén-  
tutem ad alacre Pietatis studium , maximas cum-  
primis utilitates eius enarrando , extimulabit .  
Quam telam à priore cœptam IV. ANDREAS

Gg 5

IACO-



IACOBVS WENGER, filius meus, pertexens, debitum Gymnasio & Mæcenatibus vale dicet, a decenti gratiarum actione panegyrin solvet. (\*)  
Vos, apud quoscunque Pietas aliquo adhuc in precio est, oramus, obsecramus, conatibus uti nostris favere, & ad benevole audiendos oratores nostros, proximi diei 17. huius mensis hora 2. pomerid. in Auditorio novo frequentes coire dignemini. Si qua minus doce elaborateque dicentur, ætatis excusationem à candidis & peritis harum rerum arbitris facile impetraturos speramus. Hallis Suevorum, d. 15. Cal. Mart. An. 1691.

II. ORA-

(\*) An conclusiones Programmatum, si hæc recuduntur, repetendæ sint, non unum omnium est iudicium. Nos Cel. Io. Henr. à Seelen, Sacræ Theol. Lic. & Rect. Gymn. Lubec. sententiam hic & in posterum sequi nulli dubitamus, qui in præf. secundæ editioni Selectorum literariorum præmissa: „Ipsas quoque, inquit, Pro- „grammatum conclusiones non omittendas, „sed retinendas esse duxi, ut conservaretur „memoria publicorum, quos olim etiam iu- „vabit meminisse, laborum, quibus prælu- „serunt. Hinc ne opus quidem esse arbitror, „institutum hoc magnorum virorum exem- „plis, facile dandis, tueri. Prudentibus, scio, „haud displicebit; imprudentes non moror, „Hæc ille. Cæterum deb. MELCH. WENGERO confer, quæ Falc. I. p. 19. diximus.



## ORATIO (a)

De

Praemiis, quae olim bonis literis harumque cultoribus decreta atque collata sunt.

## ARGUMENTVM.

Multi contemnunt hodie studia humanitatis. Quia vel non assequuntur. Vel non ad quæstum facere vident. Cum tamen eorum magna

(a) Evidem non publice recitata a me est hæc Oratio sive Declamatio, sed est fructus illius collegii, cuius in primo huius Sylloges Fasciculo, Sect. VIII. p. 185. gratam feci mentionem. Ut vero in lucem protrahere audeam, lectio elegantissimæ orationis Viri Cel. Io. CHRISTOPHORI COLERI de multiplici humiorum literarum abusu, in secundo Fasc. p. 276. mihi iam laudatæ, effecit. Cum qua conferri possunt, præter nonnullas, quas Cl. KAPPIVS Parti primæ Orationum Virorum clarissimorum inseruit, sequentes orationes, quas Viri dudum celeberrimi ediderunt;

IAC. FACCIO LATI oratio ad humanitatem,

Lipsiae

